

## ANNOTATA ANTI-GROTIANA

tionis tempore examen ignis non sustinent. Quæ sententia Brentio etiam placuit, non aliena quidem ab analogia fidei, at non conveniens scopo, & menti Apostoli: Quam rectius assequuntur, qui de doctrinâ verba Apostoli accipiunt, quod verò non eodem modo fit. Nam pleriq; per aurum, argentum, & lapides pretiosos dogmata à fundamento diversa, sed eidem homogenea, non adversa intelligunt. Sunt tamen qui non diversa, sed eadem omnino dogmata, quæ fundamenti nominæ etiam expressa erant, designari velint, quæ dicantur à Successoribus Apostolorum superstrui, non ratione diversæ materiæ, sed ratione alterius laboris, quod nempe eadem de Christo fundamentalia dogmata omnia & singula ab Apostolis initio prædicata ex eadem scripturâ Prophetica & Apostolica repetant, continent & confirmant, quo ab ite Parei explicatio in hunc locum: *Aliorum doctorum, inquit Paulus, non est fundamentum ponere, sed super id quod positum est, Prophetarum & Apostolorum scripturis superstruere, hoc est Propheticam & Apostolicam doctrinam de Christo fideliter tenere, explicare, dilatare, applicare, & ad ædificium perficiendum, hoc est, ad Ecclesiam edificandam doctrinis & rationibus fundamento consentaneis pertractare atq; illustrare.* Quem sensum è Flacio etiam laudat & approbat Dominus D. Haberkorn in fideli & solida admonitione contra Syncretismũ p. 347. *Per lignum, fœnum & stipulas non tantum erronea, vana, non necessaria dogmata fundamentalibus superstructa, eadem autem non evertentia; sed etiam dogmata plane heretica, impia, blasphemæ, cum fundamento pugnantia intelligens.* Magis autem conveniens videtur communis Doctorum nostrorum B. Hunnii, Hesbusii, Weinrichii, Balduini & aliorum explicatio, qui distinguunt dogmata, quæ superstruuntur fundamento, quod est Christus Jesus, ab ipso fundamento quem admodum hic Apostolus aperte distinguit, non ratione laboris alterius, sed materiæ; idq; Metaphoræ ratio requirit. Aliud siquidem est fundamentum in ædificio, aliud quod fundamento superstruitur, quæ non tantum ratione laboris, diductionis vel corroborationis distinguuntur, sed ratione operis, & structura ipsius, quæ dilatare & corroborare fundamenti nulla domus ædificetur, sed necessom fit fundamento superstruere parietes, columnas, trabes & fastigium, ut fiat

ædifi-

4.  
50  
6  
Maximè conveniens explicatio.